Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.L.

que secundum philosophum radix est omnium malorum. Nam auaricia primo est sibi proprii consumptiua. Auari enim dum filios ditare querunt male comedunt male bibunt vix dormiunt et dum aliis consulunt seipsos consumunt. Et quantum ad hoc similes sunt galline et et aquile que sic afficiuntur amore pullorum ut nihil quasi comedant et suam vitam negligant. Ut filiis omnia derelinquant. Unde gallina incedit tota hyspida ala demissa et insuper voce Rauca. et tamen pulli quando adulti sunt a parente discedunt nec de ea aliquam curam gerunt. Et propterea miseri diuites sunt candele similes que ut alios illuminare possunt seipsam consumunt. Nam multi nolunt filios impinguari immo ne pinguescant volunt eos uerberare et escam non dant. Et hoc ipsum accipitres faciunt filios adultos exire de nido cogunt et querere sibi escam. Secundo auaricia est [illegible] causatiua. Nam quidam auari sunt qui nec propriis diuiciis uti uolunt nec aliis uti concedunt. Unde nec filios expendere volunt nolunt. tales enim sunt similes serpentibus piper custodientibus qui nec ipsi piper comedunt nec alios accipere uolunt sed mira auiditate custodiunt et vix cum igne expelli de montibus illis possunt. Et hoc enim est piper nigrum quia ignis in illis apponunt et adustum. Sunt etiam auari similes griffonibus et leonibus aureos montes custodientibus in Indie partibus. Qui nisi cum auro nullam utilitatem habeant alios tamen ne tollant impedire non cessant. In India enim esse sunt formice ad canum magnitudinem que tanta auiditate aurum amant quod eius nullum fructum ex eo percipiant quod prius possunt occidi quam aurum ab eis auferri. Tercio auaricia est celestis patrie contemptiua sola appetit bona terrena. Unde auari sunt similes auibus per aera uolantibus que oculos a celo auertunt et super terram propter escam